



Hermannus filius fuit Vuolferadi comitis Veringensis ad Danubium. Cum autem is omnibus membris contractus esset, ut hinc inde tantum deportaretur (unde etiam suum cognomen acquisiuit) parentes eum in monasterium S. Galli collocarunt, multis insuper opibus additis. Erat autem tum temporis in eo loco celeberrima schola, uiris doctis refertissima, ita ut optimi quique authores iuuentuti prælegerentur. Hisce Hermannus sedulam operam nauauit, atque tandem in uirum doctissimum euasit, ita ut æquales suos ingenio & doctrina facile superaret. Hac ratione pulchre id quod natura in corpore negarat, uirtutibus animi resarciuit. Erat enim trium linguarum Græcæ, Arabicæ, & Latinæ peritissimus, præterea Theologus, Philosophus, Astronomus, Rhetor, & Poeta, nulli suo tempore secundus. scripsit itaque carmine & prosa multa præclara uolumina. Vt pote Historiam de sex ætatibus mundi præterea uitas Imperatorum Heinrici & Conradi. Deinde compositionem & usum Astrolabij, De ecclipsibus, Computo, & quadratura circuli. Transtulit etiam nonnulla Græcorum Philosophorum & Arabum Astrologorum uolumina in Latinam linguam. ita ut eius memoria ob elucubratas ab eo artes, apud omnes doctos adhuc recens existat. quæ quidem

omnia ipse contractis & paralyticis manibus conscripsit & edidit, circa annum Domini millesimum quadragesimum. Trit.

Monsterus libro 3.